

Cap. XLVIII. Rubrica de securitate fienda de bonis emptis ad extimariam comunis et de possessione ipsorum bonorum.

Ordinamus quod, si qua persona emerit aliquam possessionem ad incantum extimarie pro debito alicuius, quod persona emens senper habeat et teneat dictam possessionem sic emptam libere et quiete sine aliqua molestia et inquietatione alicuius persone, et possessio vendita ad extimariam comunis nullo modo accipi possit per personam aliquam, propinquam illius cuius fuerit possessio, ab emptore; et quod deliveratio sive spalmatio facta legittime alicui ad extimariam comunis pro debito alicuius, sive leoni lapideo posito super scalis palatii nomine alicuius, habeatur et intelligatur quod sit valida et firma ac valeat et teneat, et virtute ipsius talis deliverationis seu spalmationis persona, cui fuerit deliverata et spalmata, est et efficitur verus dominus possessionis sive rei sic eidem deliverate et spalmate ad dictam extimariam, et sibi acquirit dominium eiusdem possessionis sive rei. ¶ Et quod nulla venditio facta ad extimariam de aliqua possessione alicuius, si ille, cuius fuerit possessio vendita coram dominio Tergesti, citatus et convictus non fuerit per illum qui vendi fecerit dictam possessionem, valeat nec teneat, et nullum sit preiudicium possidenti, etiam si ius suum non fuerit protestatus super dicta possessione, aliquo alio statuto in contrarium loquente non obstante. // ¶ Item volumus quod, si aliqua possessio vendita et deliverata fuerit ad extimariam, et emptor ipsius possessionis voluerit sive petierit sibi fieri instrumentum venditionis ipsius possessionis unius vel plurium per illum vel illos cuius vel quorum fuerit talis possessio vendita, quod dominium Tergesti sine oblatione libelli et strepitu iudicii ordinarii debeat constringere illos vel illum, qui instrumentum venditionis facere debent sive securitatem ipsorum bonorum venditorum secundum formam statutorum, videlicet tam de possessione quam de receptione denariorum et restitutione ipsorum, et eisdem precipere quod ipsum instrumentum venditionis et securitatem predictam tali emptori facere